





10

1719, 3

Z-  
90.  
A3

DISSERTATIO  
HISTORICA & JURISPUBLICI

DE

ANNO DECRE-  
TORIO EXERCITII  
UTRIUSQ; RELIGIONIS  
IN GERMANIA,

Quam

Auspiciis Divi Numinis,

PRÆSIDE

JUSTO CHRISTOPHORO  
DITHMARO,

HISTOR. ET POLIT. PROF. PUBL. ORDIN.  
ET UNIV. BIBLIOTH.

Die XIIIX. Novembr. M DCC XIX.

H. L. Q. S.

Publico Examini subjicit



JOHANN. STEINHAUSER,  
Magdeburgensis.

\*:—————\*: \*

FRANCOFURTI ad VIADRUM.  
Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.

*Prænobilissimo atque Amplissimo  
Viro ac Domino*

**Dn. JOHANNI  
STEINHAUSER,**

POTENTISSIMI REGIS PRUSSIÆ

Consiliario Aulico & Rerum Bellica-  
rum in Ducatu Magdeburgico  
meritisimo,

*Parenti suo omni pietate colendo,*

Primum hoc Studiorum suorum specimen,  
quo par est obsequio,


offert

**RESPONDENS.**



DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup>  
De  
**ANNO DECRETORIO EXERCITII**  
**UTRIUSQUE RELIGIONIS IN GERMANIA.**

§. I.



X quo Religio Christia-  
na circa initium Seculi  
XVI. per Viros à DEO  
excitaros emendari cœ-  
pit, id e contrario ege-  
runt alii, ut salutari huic  
negotio, vi quoque a-  
perta se se opponerent,  
proscripto non solum,  
cujus opera DEus præ-  
cipue utebatur, Luthe-

ro, sed & durissimis, ne vetus Religio mutaretur,  
edictis emissis, gravissimisque sanctionibus in Comi-  
tiis Spirensibus Anno 1529. renovatis. His cum e-  
mendata Religionis Socii jure meritoque contradic-  
cerent, nomen ab illo tempore Protestantum tu-  
lerunt, *Sleid. Lib. VI.* Quod Religionis dissidium in  
apertum Bellum mox erupit, maxima atrocitate  
gestum, atque Pace Augustæ Vindelicorum Anno

A

1555.

1555. facta, ita tandem compositum, ut liberum Religionis exercitium Protestantibus fuerit concessum. Non vero illis diu hac libertate frui licuit. Vix enim quadriennium ab illa pace elapsum erat, cum Ordines Evangelici de ejus violatione coacti fuerint conqueri, literis ea de causa ad Ferdinandum Imperatorem scriptis, quas vid. ap. SIG. FREY-BERG in Germ. Pert. & Rest. P. II. P. 137.

§. 2.

Principiam novis illis turbis occasionem dabat RESERVATUM, quod vocant, ECCLESIASTICUM sive Articulus ejusdem pacis XVIII. quo ita erat sanctum. Wo ein Erzbischoff/ Bischoff/ Prälat, oder ein ander geistlicher Stand von unserer alten Religion abtreten würde/ daß derselbe sein Erzbistumb/ Bistumb/ Prälatur und andere Beneficia, und damit alle Frucht und Einkommen/ so Er davon gehabt/ absahld/ ohne einige Weiterung und Verzug / jedoch seinen Ehren unnachtheilig/ verlassen/ auch den Capituln, und denen es von gemeinen Rechten/ oder der Kirchen/ und Stifts Gewohnheiten zugehört/ eine Person der alten Religion verwandt/ zu wählen und zu ordnen zugelassen sey. Hanc clausulam Tabulis Pacis se invitis insertam fuisse, arguebant Protestantes, eaque de causa Gebhardum Truchsesium, Archiepiscopum Colonensem, qui Hermanni Comitis de Weda, Prædecessoris sui consilium executurus, Religionem mutata, initioque matrimonio, Archiepiscopatum suum relinquere detestabat, acerime sed frustra defendebant, Truchsesio a Pontificiis Archiepiscopatu suo tandem cedere coacto, ut pluribus referunt THUANUS Lib. LXXVI. LXXVIII.  
ISSELT

ISSELT de *Bella Colon.* OBRECHT *Diff. de Reserv. Eccles.* Tanto enim acrius eundem Articulum tuebantur Pontificii, quod præcipuum Religionis suæ conservandæ fulcrum. Protestantum vero Religionis progressus impediendi aptum medium esset, eaque propter, ne Johannes Georgius, Marchio Brandenburgensis Episcopatu Argentinensi, ad quem is à Canonicis Evangelicis electus erat, potiretur, summopere quoque postea resistenterunt, adacto tandem Marchione, ut cum æmulo suo, Carolo Lotharingico transigere, certisque conditionibus omni jure in illum Episcopatum sese abdicare debuerit, cuius rei gesta THUANUS *Lib. 104. 118. 131.* Tabulas vero pacti LONDORP, *T. III. Lib. 8. C. 3.* referunt.

## §. 3.

Hæc dum agerentur, dolendum erat, quod Protestantes in se ipsos colliserint, atq; quietis publicæ Turbatores inter eos exiterint, qui Reformatos a Pace Religionis censuerunt excludendos esse, idq; cū Pontificiis egerunt, ut Elector Palatinus, Fridericus III. Catechismi Heidelbergensis Autor, in Comitiis Augustanis 1566. proscriberetur; cuius autem voti, quo minus tum fuerint compotes facti, ipsi Lutherani Principes impediverunt, quippe qui summa æquitate pariter ac prudentia Fridericum non deferrendum esse decreverunt, atque de Reformatis, *an Pace Religiosa comprehenderentur.* à Cæsare consulti, in præcipuis eos fidei Articulis cum A. C. Sociis consentire, nec juribus & Privilegiis Pacis Religiosæ privandos esse, ingenue responderunt, ut ex literis ipsorum constat ap. Goldastum Reichs *Satzungen P. II. P. 293.* Inter illos, qui a Friderici Palatini

A 2

par.

## (4.)

partibus tunc stabant, Saxoniæ quoque Elector, Augustus fuit, qui vero ab inquietis hominibus se potea induci sivit, ut Reformatos, quos *Crypto-Calvinistæ* vocabant, diris modis in ditionibus suis persecutus fuerit. Quo vero ejus filius & Successor Christianus I. in Reformatos æquior fuit, tanto majori in eos odio flagrarunt reliqui ejus cives, atque, ut sub Christiano II. Saxonia fuerint ejecti, obtinuerunt, Nicolao Crellio, Saxoniæ Cancellario, quod Reformatis addictus esset, capite quoque truncato. Vid. de his pluribus ARNOLD. in Kirchen- und Käthes Historie T. II. Lib. XVI. c. 32.

## §. 4.

Ista Protestantium discordia factum quoq; fuit, ut Pontificii vi iterum satis aperta utrosque opprimere coeperint, Reformatis primum Senatu Aquisgranensi Anno 1593. motis, Protestantibus vero in universum postea inde proscriptis, atque sacris ipso-rum in illa civitate abolitis. THUANUS Lib. 104. 121. 133. Civibus quoque Donawerdenisibus, qui jam ante Pacem Religiosam Protestantium sacra receperant, nulla idonea de causa proscriptis, ejusque poenæ executione contra Imperii Leges Eleotori Bavariæ commissa. THUANUS Lib. 138. & varia scripta apud MEJERUM in Suppl. Londorpi T. 1. Ipsa denique Pax Religiosa tum Burckardiana illa Jesuitarum Colonensium *Autonomia*, tum Jurisconsultorum Diligentium *Compositione Pacis*, direcťe impugnabatur, eamque vel plane irritam esse, vel tantum Protestantium Tolerantiam, quousque illud Pontificiis placeret, commendare, impune asserebatur, vid. Illustr. PUFFEND. *Schwedische und Deutsche Krieges-Geschichte* Lib. XVII. §. 112.

## §. 5.

Rebus ita Religionis quotidie in deterius ruentibus, periculum magis augebatur, quod nulla illi succurrenti ratio suppeteret, quippe cum altera pars judicia haberet suspecta, altera vero amicas pactiones recusaret, id vero utraq; ageret, ut fœderibus sibi prospicerent, præfagiis novi Belli, in quod tandem omnes illi motus eruperunt, cum Protestantibus in Austria non solum, sed & Bohemia & Silesia liberum Religionis Exercitium sub Imperatore Ferdinando II. afferretur, violatis, quibus Rudolphus II. illud indulserat, *Literis Majestatis*. Ita enim factum, ut Ordines Bohemæ Ferdinandum vicissim, quod privilegia sua jurato a ipso confirmata haud servasset, Regno Bohemæ privarint, Bellumque, quo Germania nullum diuturnius & vehementius experta fuit, Anno 1618. initium sumserit, de cuius causis vid. quoq; PFANNERUM in *Hist. Pac. Westphal. Lib. 1. PUFFENDORFF. Lib. cit. §. 7. & seqq.*

Cum ergo hoc Bello status Religionis utriusq; multas subiisset mutationes, pace tandem Westphalica, inter alia capita, quæ Sacrorum in Germania exercitium respiciunt, constitutum fuit, ut Religionis utriusq; Confortes in statum, quo res ipsorum Sacrae Anno M DC XXIV. (respectu quorundam MDCXVIII.) fuerunt, restituerentur, de quo sacro Termino cum præsens rerum status differendi occasionem nobis præbuerit, tres præcipue sequentes Paragraphi ex Art. V. ejus pacis inspiciendi erunt, ut pote quibus de illa Restitutione in Ecclesiasticis ita fancitum est:

§. 2. *Terminus a quo Restitutionis in Ecclesiasticiis, & quæ intuitu eorum in Politici mutata sunt, sit dies primus Januarii Anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti.*

§. 31. *Hoc tamen non obstante Statuum Catholicorum Landasfii, Vasalli, & subditi cuiuscunq; generis qui sive publicum sive privatum Augustanæ confessionis exercitium Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, quacunq; Anni parte, sive certo pacto, aut privilegio, sive longo iuio, sive sola denique observantia dicti Anni habuerunt, retineant id etiam in posterum una cum annexis, quatenus illa dicto Anno exercuerunt, aut exercita fuisse, probare potuerunt.*

§. 32. *Turbati aut quocunque modo destituti vero sine ulla exceptione in eum, quo Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto fuerunt, statum plenarie restituantur: Idemque observeatur ratione subditorum Catholicorum Augustanæ confessionis Statuum, ubi dicto Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto usum & exercitium Catholicæ Religionis publicum aut privatum habuerunt. Circa quæ hæc potissimum consideranda venient: 1) Cur Annus M DC XXIV. Summis Paciscentibus placuerit. 2) Quomodo §. 2. cum §. 31 conciliari debeat. 3) Quid per publicum & privatum Religionis exercitium intelligatur. 4) Quomodo cum illis agendum, qui post illum annum Religionem alterutram exercere cœperunt. 5) Qui ab illo termino excipientur. 6) An Articulus IV. Pacis Rysicensis Paci Westphalicae aduersetur?*

§. 7.

*Quod ad primum attinet, de Amnestia, temporeisque Articulo, in quem Religionis causa læsi restituui deberent, inter utramque partem diu disputatum fuit, dum Protestantes in Statum ante bellum Bohe-*

(7.)

Bohemicum, Annunque M DC XVIII motuum  
quippe bellicorum initium, se restituendos esse con-  
tenderent, Pontifici vero annum exigere M DC  
XXX. utpote Belli Suecici, de quo componendo po-  
tissimum ageretur, exordium. Post multam disce-  
ptionem annus tandem M DC XXIV. constitutus  
fuit, tanquam medius inter memoratos annos 1618.  
& 1630. exceptis tamen nonnullis, qui, ut infra di-  
cetur, in statum ante bellum debuerunt restitui,  
PUFFEND. Lib. XVIII. §. 60. 86. 90. 97. 110. 129. THEA-  
TRUM EUROP. T. V. pag. 1102. PFANNERUS H. P. W.  
Lib. III. & IV.

§. 8.

Est ergo anni illius M DC XXIV Observantia  
Norma ac Regula, juxta quam utraque Religio de-  
inceps se componere & exerceri debuit. Nec ob-  
servantia illa ad Religionis tantum sive cultus divi-  
ni exercitium, sed & Templa spectat, aliaque loca  
sacra, & Bona Ecclesiastica, quæ utraque pars illo  
anno possedit, quæve vel utriusque relinquit vel resti-  
tui debuerunt, non obstantibus ullis Pactis, Trans-  
actionibus, conventionibus, sententiis latis, reique  
judicata vim adeptis, sive ea sacrum illum terminum  
præcesserint, sive eundem, ante tamen con-  
festam pacem, fuerint secuta, quippe quæ omnia  
nullius juris, penitusque irrita habentur, quatenus  
memoratae observantiae repugnant, atque contraria  
sunt. Art. cit. §. 33. Quæ tamen solum respectu Prin-  
cipum & subditorum diversæ religionis, Pontificiæ  
nempe & Protestantium ita obtinent, quod vero ad  
pacta, privilegia, Reversales, & dispositiones, atti-  
net, quibus inter Protestantes ipsos de Religione e-  
stasque

jusque exercitio prouisum est, salva illa semper & integra manent, relicta quoque uicuique conscientia libertate *Art. VII. §. 1.*

*§. 2.*

Primo deinde intuitu sibi invicem contradicere videntur *§. 2. & 3.* dum Res Ecclesiasticae priori Paragrapho in statum, quo die primo Januarii M DC XXIV. utraque pars illas posedit, posteriori vero in statum, quo fuerunt quacunque illius anni parte, redigi atq; restitui jubentur. Hæc itaque ut concilientur, inter Bonæ Ecclesiasticae & Religionis exercitium distinguendum, atque de hoc paragraphum trigesimum primum, de illis vero paragraphum secundum, intelligendos esse, multi censent, paragraphis in illam sententiam vigesimo tertio & sexto præcipue induiti, quippe ubi numerus Canoni corum in Capitulis mixtis, juxta numerum eorumdem, qui primo die Januarii Anni MDCXXIV. fuit determinatur, Exercitium vero Religionis, ut futuravis Anni ejusdem parte, restituendum dicitur. Ast parum hæc *§. 3.* de quo agitur, congruunt, cum illo Tempa, fundationes, Monasteria & Hospitalia æque ac Exercitium Religionis, in statu, quo fuerunt quavvis memorati Anni parte, relinqui & restitui jubentur. Quod si vero *Art. V.* Instrumenti Pacis penitus inspiciatur, liquido apparebit, inde usque a *§. 2.* agi de Eleitorum, Principum aliorumque Statuum immediatorum restitutio in iura, quæ primo die Januarii M DC XXIV. habuerunt, inde vero a *§. 3.* de subditorum in statum, quo fuerunt quavvis Anni ejusdem parte, restitutio sermonem esse; vid. AUT. Meditat. ad Instrum. Pac. *Art. V. §. 2.*

*§. 10.*

Cum tertio in adductis aliisque Articuli V. locis Exercitii Religionis Publici & Privati, nec non §. 34. *Devotionis privatae* mentio fiat, quomodo hæ Cultus Divini species differant, videndum quoque erit, quod discrimen illorum haud extra omnem dubitationis aleam positum sit. Nobis *Publici Religionis Exercitii* nomine intelligitur ejusmodi Cultus Divinus, qui non solum publica autoritate instituitur, sed & in publico templo, rituque solenni, statis videlicet horis, campanarum sonitu, adhibitisque a liis ceremoniis, libere peragitur, atque a peculiari Consilio Ecclesiastico, ut fit in Palatinatu Inferiori, regitur. *Privatum* e contrario dici censemus, quod verbi quidem divini ministro adhibito, sed in ædibus privatis, apertis licet earum januis, exclusis nonnunquam aliis familiis, sine publico & solenni apparatu, instituitur. *Devotio autem privata* nobis est, quæ sola verbi divini, ejusque interpretationum lectione, mutua ad pietatis officia excitatione, Psalmorum cantionibus, liberorum per domesticos Praeceptores institutione, omnibusque in universum sacris functionibus, quæ verbi divini Ministruum absolute non requirunt, peragitur, quo, an Sacramentorum quoque administratio pertineat, ita, ut non Baptismus solum, sed & Eucharistia, quando Sacerdotis copia haberi nequit, a quolibet homine Christiano peragi possit, admodum controverti cœpit ex quo RIGALTIUS *Observat.* ad TERTULLIANUM de *Exhort. ad Cœf. C. 7.* id affirmaverat, impugnatus ab ALBASPINÆO *Lib. de Eucharistia.* atque coactus Romæ se ideo purgare. Rigaltii sententiam postea

B

de-

defenderunt GROTIUS de administratione S. Cenæ, ubi  
*Pastores non sunt, WALO MESSALINUS*, sive, qui sub  
 illo conficto nomine latere creditur, SALMASIUS  
 Lib. de Episcopis; Rursus vero impugnarunt DION.  
 PETAVIUS de potestate consecrandi & sacrificandi sacer-  
 dotibus a Deo concessa, & communione usurpanda. CLOP-  
 PENBURGIUS Select. Disput. IV. DODWELLUS Tr.  
 de jure Laicorum sacerdotiali. Priorum partibus con-  
 summatissimus Theologus, JOH. LUDOVICUS FA-  
 BRICIUS quoq; accedit Disert. qua disquiritur, *Utrum*  
*controversia de Baptismo per hominem privatum aut Mu-*  
*erem in casu Necesitatis administrato ad Capita fidei, an a*  
*Capita Eutaeniae pertineat?* Oper. ejus p. 399. addu-  
 eto quoque ZANCHII & ZWINGLI confensi, cujus posterioris verba ex operum ejus T. II. hic  
 adscribere non penitus abs re erit: *O! miseri, inquit*  
*ille, homines & Iudæi longe infeliores, qui adhuc mundi*  
*bujus elementis tam mordicus inhaeretis! an ignoratis, quan-*  
*to cum studio & diligentia Paulus ad Col. 2. moneat, ne per*  
*elementa hæc nos abduci patiamur?* circumstantias ergo  
 omnes tam personarum quam locorum, temporum item, &  
 qualitates omnes abjecite, & mox baptismum vere Christia-  
 num & liberum habebitis. Triplex enim hic circa circum-  
 stantias, i. e. elementa mundi, error versatur. Primus e-  
 nim temporis erat, quo Baptismum non nisi primo die recte  
 conferri posse arbitrabantur: Cum temporis ratio non adeo  
 multum momenti hic habeat, modo hoc caveatur sedulo, ne  
 quis temere vel negligenter rem banc diutius quam par si  
 differat. Facile enim bujusmodi occasione fieri posset, ut  
 parvolorum Baptismus e medio tolleretur. Alter error cir-  
 ca persona circumstantiam versabatur, quod baptismum à  
 nemine alio, quam a solo sacerdote, conferri posse putarent,

eum

cum interim quivù hominum hoc facere posfit, imo femina quoque, si quando necessitas sic postulare videatur. Tertio in loci circumstantia, non minus quam primis istis, errabatur, eo quod non opus erat infantem in templo tantummodo baptisari. Accessit his quartus quoque nonnullorum error, qui in qualitate quoque Baptismi errantes, aquam in eo benedictam & oleo squalentem requirebant. Hujusmodi circumstantiae omnes non sunt de ipsa Baptismi essentia, & proinde necessario requiri non possunt; interim tamen ita illis utendum est, ut ad publicam Christianorum & fidelium pacem mutuumque concordiae studium faciant. Tempus a nemine sic differri debet, ut suspicionem aliquam dare posfit, quod infantes suos Baptismi signo solet inauguari. Externa enim hæc omnia nobis servire debent, nec nos illis allegatos esse convenit, quemadmodum superius abunde satis demonstratum est Phil. 3. Templum & ordinarium ecclesie ministerium omnino adire convenit, si modo nullum hinc infantis oboriri potest periculum, ne ordo ecclesiæ interturbatus omnia misceat, sed ut infantes quoque novi ecclesiæ innescant. Atqui idem hoc charitatis Leges postulant, ne forte deterius quiddam hinc exortum universam baptismi institutionem simul & usum invertat.

Quod de libertate circa Baptismum dicitur, de Eucharistia quoque procul dubio intelligi debet. Certe utrumque Sacramentum Seculo I. & II. Ecclesiæ Christianæ pro re nata fuisse administratum, multis insuper ostendit celeberrimus JCTUS, JUSTUS HENNIGESIUS BöhMERUS in *Disput. Juris Ecclesiastici Antiqui ad PLINIUM SEC. & TERTULLIANUM*, in primis Disf. IV. IX. & X. Magno Christianis in locis

locis, ubi religio ipsorum premitur, solatio foret, si mos ille veteris Ecclesiæ in casu necessitatis reduci posset, quod vero aliorum judicio relinquimus.

## §. II.

Ut in viam redeamus, quod ad illos attinet, qui Anno, MDCXXIV. religionis exercitium non haberent, non eadem est Principum & Subjectorum ratio. Si Princeps Pontificæ Religionis Ecclesiasticus, ArchiEpiscopus, Episcopus & Prælatus sacra Protestantium amplectatur, juxta Pacis Religiosæ *Articulum XVIII.* sive *Reservatum Ecclesiasticum*, de quo vid. supr. §.2. Beneficio suo excidit, honore solum & fama illibatis, quod cum Protestantes se invitatis decreatum esse contenderent, Pace Westphalica *Articulo V.* §. 15. id confirmatum, atque in Episcopos Evangelicos quoque extensem fuit, factumque propterea, ut Dux Zicensis cum Religione nuper mutata, ad Sacra Pontificia transiisset, Administratione Episcopatus Naumburgensis cedere debuerit. Merito vero de illa sanctione Clar. BÖHMERUS *Dissert. Prælim. ad Lib. III. jur. Eccles.* §. 50. scribit: *Negari interim nequit, admodum libertatem conscientiæ hoc jure per indirectum restrictam esse, maxime si Episcopus & universum Capitulum nullo excepto, sacra deserere pristina constituere, id quod aliter facere nequeunt, quam si omnes, penes quos tamen administrationis territorii est, jura sua cum redditibus amplissimis deserunt; cum vero id ipsum vix ab uno alterove impetrari queat, casus talis, ut totum Capitulum cum Episcopo suo sacra pristina relieturum sit, moraliter hodie existere nequit.* Quod si vero Princeps Secularis Religionem suam mutet, cuiusmodi exempla refert AUTOR *Medit. ad Pac. p 858.* vel diversæ Religionis Princeps in Territorio succedit,

dat, ut in Palatinatu Inferiori accidit, linea Electorum Palatinorum Simmerensi extincta, ditionibus quidem suis haud privatur, sed an religionis suæ *Exercitium publicum* introducere possit, admodum controversum, scriptisque ventilatum fuit, ex quibus tam affirmantium, quam negantium argumenta refert CLAR. BÖHMERUS J. E. Lib. I. Tit. I. §. 67. seqq. Prioribus quoque AUTOR MEDITAT. ad *Instrum. pacis* §. 31. *Articulo V.* & §. I. Art. VII. accedit, atque cuilibet Principi diversæ Religionis, quam post Annū 1624. amplexus fuit, vel in territorium suum intulit, *publicum Exercitium instituere, vi Superioritatis Territorialis, & juris Reformandi licitum esse contendit*, modo subditorum sacra inviolata simul ac sarta teatique maneant. Sane negari nequit, Principibus Imperii jus Reformandi in suis territoriis competere, tantumque abest, ut Pace Westphalica hoc admētum ipsis sit, ut potius in quibusdam casibus tantum restrictum fuerit. Constat vero simul, exerceri illud non posse in præjudicium Exercitii Religionis Protestantium quod anno 1624. & respectu quorundam 1618. obtinuit. Id ergo in proposita Quæstione cavendum, ne alterutri horum vis inferatur, atq; ideo, Cl. BÖHMERUS l. c. Principi, qui post Annū 1624. Religione A. C. mutata, Pontificiam amplectitur, vel Pontificio in Territorio alterius Religionis succedenti, Religionis suæ exercitium publicum introducere haud licere existimat, quod id fieri non possit, nisi cum præjudicio Religionis Protestantium, quam necesse sit per externum illum Religionis Pontificiæ apparatum, solennium videlicet processionum, Venerabilis ad ægrotos deportatione, aliisque ceremoniis

monis turbari; cuius sententia tanto lubentibus accedimus, quod dicta ab ipso experientia quoq; confirmet, atque existimamus publicum Religionis Pontificia Exercitium introduci non posse, nisi ab ejusmodi solennibus abstineatur, ut nunc in Saxonia fit, ejusdemque Religionis Exercitium Hanoveræ a Serenissimis Principibus Brunsvicensibus concessum est. Altero vero se res habet cum Principibus Protestantibus, qui ad alterutram vel Reformatam vel Lutheranam Religionem transeunt. His enim *publicum Religionis Exercitium negari nequit*, quia cum ultraque illa Religione ita comparatum est, ut neutra alterutrius Exercitio impediatur, salvis interim juribus, qua alteri parti competunt, juxta Tabulas Pacis ARTICULO VII. §. 1. cui publicum ejusmodi Religionis Exercitium repugnare, perperam a non-nullis asseritur.

## §. 12.

Nec satis expeditum est, quomodo cum Subditis Statuum, qui post annum 1624. diversa a Domino territorii Sacra profiteri cœperunt, vel illa mutarunt, agi debeat, quippe cum §. 34. jubeantur patienter tolerari, nec prohiberi conscientia libera domi devotioni suæ, sine inquisitione, aut turbatione privatim vacare; juxta vero §. 36. & 37. juberi & cogi possint emigrare, certo spatio vel quinquennii vel triennii ipsis præfixo. Negotium hæc facesserunt Doctoribus Jurispublici, atque, ut concilientur, necessitatem illam emigrandi, non tam de Religionis, quam alia sonica causa intelligi, putat KNIPSCHILD *de Civit. Lib. 2. C. 3.* Alii aperte hos paragraphos sibi contradicere, nec subditos, ut emigrent, cogi posse existi-

existimant, quod tyrannidem illud sapiat, atq; non nisi in pœnam fieri possit, quam Deum pie colentes haud mereantur. Repugnare quoque necessariæ huic emigrationi Pacem Religiosam, quippe qua de libera tantū emigratione cautū fuerit hisce verbis: Wann die Unterthanen von ihrer Religion wegen mit Weib und Kindern an andern Ort ziehen und sich niederlassen wolten/ daß ihnen solcher Ab- und Zuzug unverhindert männlichs zugelassen/ und bewilligt seyn solle. Ast non quid naturali jure liceat, sed quæ Pacifcentium mens fuerit, videndum esse, recte monet Illuſtr. THOMASIUſ vom Recht der Fürſten in Theologischen Streit Sachen. Illis vero necessariam quoq; emigrationē placuisse, ex A&tis pacis Westphalicae satis clare liquet. Quam enim diu & vehementer disceptaverint de restitutionis termino, supra dictum fuit §. 7. Qua vero contentione opus non fuisset, si Statibus Imperii non liceret subditos diversæ religionis, ut emigrent, cogere; quam potestatem jure Reformandi comprehendendi §. 30. diferte innunt, certis tantum, quibus illa coarctetur, præscriptis limitibus, tum ratione subjectorum, qui jam Anno MDC XXIV diversæ Religionis, sive publicum sive privatum exercitium habuerunt, tum ratione illorum, qui post illum annum diversam religionem amplexi fuerunt. Priorum intuitu §. 30. cautum fuit, ut, si velint alio migrare, non detineantur, nec vi ad alia sacra pertrahantur. Quod vero ad posteriores attinet, qui post illū annū religionem diversam colere coeperant, diu quidem, ut & illi tolerarentur, institerunt Protestantes, idemque se in ditionibus suis facturos promiserunt, cum vero Pon-

Pontificis iniquum videretur, subditos invitatis Dominis pro libitu vel manere vel emigrare posse, ita tandem §. 34. inter eos transactum est, ne aliam religionē post annum M DC XXIV. professi, quā diu tolerētur, conscientia libera devotioni suā vacare, liberosque suos aut exteris suā religionis scholis, aut privatis domi Præceptoribus instituendos committere prohiberentur. Si vero jubeantur solum vertere, ut idoneum spatum, minimumque quinquennii aut triennii ad emigrandum ipsis præfigatur, juxta §. 37. ea quoq; libertate ipsis relicta, ut vel retentis suis bonis vel alienatis discedere, retenta per ministros administrare, & quoties ratio id postulat, ad res suas inspiciendas vel persequendas lites, aut debita exigenda libere & sine literis commeatus adire possint, juxta §. 36. Sunt tamen causas, quibus emigratio imperari nequit, ut (1) si jus territorii controversum sit juxta Art. V. §. 43. (2) si territorium a Dominodirecto soluto pretio reluatur per Art. V. §. 27. (3) si spatum ad emigrandum magis laxum impetratum fuerit. *Vid.* quæ hanc in rem pluribus disferunt, AUTOR Meditat. ad Instrum. Pac. pag. 623. & seqq. & Clariss. BÖHMERUS in Jure Eccles. Lib. I. Tit. I. §. 65. 86. seqq. & diss. prælimin. ad Lib. III. 50.

## §. 13.

Ab illo vero Anno M DC XXIV primum excipiuntur, atque in Statum Religionis suā ante motus Bohemicos restituuntur Reformati in Palatinatu inferiori juxta Artic. IV. §. 6. & 13. Quorum priori ita constitutum est: *Dein, ut inferior Palatinatus totus cum omnibus & singulis Ecclesiasticis & Secularibus bonis, juribus & Appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos Electores Prin-*

Principesque Palatini gavisi sunt, omnibusque documentis regeatis, rationariis & ceteris actis buc spectantibus idem plenarie restituantur. Posteriori vero: Dein tota domus Palatina cum omnibus & singulis, qui ei quocunque modo additi sunt, aut fuerunt, præcipue vero Ministri, qui ei in hoc Conventu, aut alias operam suam navarunt, ut & omnes Palatinatus excules fruantur Amnestia generali supra descripta pari cum ceteris in eo comprehensi jure & bac transactione singulariter in punto Gravaminum. Hæc de Reformatis intelligi ex §. 19. ejusdem Articuli liquet, cum ibi Augustana Confessionis consortibus sive Lutheranis liberum religionis suæ exercitium in Palatinatu inferiori asseratur juxta Statum Anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti. Quod inter Reformatos & Lutheranos discriminem non ex aliquo in hos odio & injuria his facta arcessendum est, sed quia Status Lutheranorum anno 1618. in ditionibus Palatinis incertus, melioris vero conditionis factus fuit tempore belli, quippe cum ab hostibus in favorem Electoris Saxonæ mitius tum fuerint habitu, quam Reformatæ religioni additi.

## §. 14.

Ceterum magnam Pontificii controversiam moverunt circa tempus ante motus Bohemicos, quo non annum proxime motus illos præcedentem, sed aliquot retro Secula contendenterunt intelligenda esse, adeo ut Comites Palatini non solum in illa iura, quæ 1618. habuerunt, sed & quidquid juris ipsis unquam competierit, fuerint restituti; quod absurdissimum est. Cum enim per tot retro Secula Status Palatinus non idem semper fuerit, restitutio maneret incerta ac dubia. Sequeretur quoque

C

que

que inde, quod subditi quoque Palatini, qui sub eadem restitutione & Amnestia comprehenduntur, in Statum ante Reformationem redigi debeant, quod forte ejusmodi cavillatione intenditur, atque etiamnum agitur, templo Reformatis in Palatinatu ea de causa nuper adento, quod a Ruperto Electore Palatino olim esset conditum. Non vero aliud tempus per verba ante *Motus Bohemicos* intelligi, quam annum proxime illos præcedentem, videlicet 1618. ex ipsis Pacis Westphalicae Tabulis liquet *Art. IV. §. 10.* quo annus ille tanquam terminus restitutionis in Palatinatu diserte exprimitur. Nec in aliud tempus illam restitutionem rejici posse, sana quoque ratio docet, cum restitutio in statum ante *motus Bohemicos* nihil aliud velit, quam restitutionem in omnia jura inde ab eo tempore, quæ quis illis privari atque destrui cœpit, quod ratione Palatinorum, aliorumque incident in annum 1618. Vide quoque, qui ex Pacis Westphalicae, aliisque actis publicis id pluribus adstruit, AUTOREM cit. Medit. ad Instr. Pac. *Art. IV.*

## §. 15.

In Statum præterea ante *Motus Bohemicos* restituti sunt Duces Wurtenbergenses juxta *Art. IV. §. 24.* & 22. Nec non Marchiones Badenses & Hochbergenses cit. *Artic. §. 26.* aliquæ in *§. seqq.* Ut & Augustanæ Confessionis socii in quatuor Silesiae Ducatibus, *Brieg, Lignitz, Munsterberg & Oels,* ut & Civitate *Wratislaviensi*, quippe qui in libero omnium jurium ante bellum obtentorum & Augustanæ Confessionis Exercitio jubentur relinquì atque defendi *Art. V. §. 38.* Quod vero ad ejusdem Confessionis socios in ceteris Silesiæ ditionibus, & qui in Austria inferiori tempore

re

re confessæ pacis degerunt, attinet, cautum fuit  
*cit. Art. §. 39.* (1) Ne ob Professionem A. C. aut bo-  
 nis cedere, aut inde migrare teneantur. (2) Ne pro-  
 hibentur exercitium Religionis suæ in locis vici-  
 nis extra territorium frequentare. (3) Ut si velint  
 sua sponte emigrare, & bona sua immobilia vende-  
 re nolint, vel commode non possint, liberum ad ea  
 inspicienda & curanda aditum habeant. (4) Ut jus  
 Ecclesiæ propriis suis sumtibus extra Civitates  
 Schweidnitz, Jauer & Glogau exstruere possint.  
 (5) Regi denique Sveciæ & Augustanæ Confessio-  
 nis Ordinibus potestate reservata, de majori Reli-  
 gionis libertate & exercitio ejus tam in Silesia &  
 Austria inferiori, quam in reliquis Cæsariorum & domus  
 Austriacæ Regnis & Provinciis obtinendo, apud e-  
 um in proximis Comitiis vel alias intercedendi, *vid.*  
 quoq; §. 41. Quo jure, cum Protestantes in Silesia post  
 Pacem Westphalicam in Religionis suæ exercitio  
 impediti essent & turbati, Rex in primis Sveciæ se  
 pro illis apud Cæsarem interposuit, atque Patriis Alt-  
 rastadienibus Anno 1707. obtinuit, ut in jura pace  
 Westphalica adquisita non solum restituti fuerint,  
 sed & sex alia nova templo in Principatu Sagano,  
 Glogoviensi, Schweidnicensi, Gauerensi, Tescheni  
 & Dynastia Wiltisch ædificandi potestatem acce-  
 print, *juxta Tab. In Fabri Staats-Cantzeleii T. XII. &*  
*XIII.* Quo minus autem liberum Religionis Exerci-  
 tium Protestantibus in Bohemia quoque & Austria  
 Superiori eadem pace fuerit restitutum, Svecorum  
 culpæ tribuitur. PFANNERUS in *Hist. Pac. Westph.*  
*pag. 280.*

Ex iis ergo quæ hactenus differuimus, liquet,  
annos M DC XXIV. & respectu quorundam M DC  
XVIII. Normæ instar ac Regulæ positos fuisse, juxta  
quā religionis causa laesi, in Statū, quo alterutro año  
fuerunt, restituerentur, idque vel ex Capite *Amne-*  
*stia*, vel *Gravaminum*, vel utroque simul; de posteri-  
ori Capite præcipue integer agit *Articulus V.* qui  
propterea *Articulo III. §. 2. Articulus de Gravaminum*  
*Ecclesiasticorum compositione* appellatur. De Domo ve-  
ro Palatina ejusque sociis *Artic. IV. §. 13.* sanctitur. ut  
fruerentur *Amnestia generali supra descripta*, & hac  
Transactiōne singulariter in puncto *Gravaminum* vid.  
quoque *Art. XVI.* Quid ergo utroque hoc Capite in-  
telligatur, quidve inde adquiratur juris, paucis quo-  
que dicendum erit. In omni videlicet pacis nego-  
tio de duobus solet transigi, vel de ipsa causa belli,  
vel de injuriis & damnis, quæ a civibus utriusq; par-  
tis sibi invicem illata sunt; Prius fieri dicitur ex  
Capite *Gravaminū*, quod proinde consistit in pacto de  
ipsis causis, ob quas bellum fuit gestum; posteriorius  
ex Capite *Amnestia*, qua, si pacto simpliciter adjicia-  
tur, omnium injuriarum, quæ durante bello vel ante  
illud, ultro citroque illatae fuerunt, oblivio, at-  
que, ut res maneant in statu quo sunt, denotatur;  
si vero cum *Lege Restitutionis*, ut in Pace Osnabru-  
gensis, res in eum locum, quo ante bellum fuerunt,  
restitui jubentur. Atque hinc patet, præcipuum utri-  
usque capituli discrimen in eo consistere, quod ex  
Capite Amnestia restitutio tantum fiat in priorem  
Statutum & solam Possessionem, salvis juribus, quæ  
tum aliis competierunt, atque non obstante Amne-  
stia;

(21)

stia Legi, peti possunt. Ex Capite vero Gravaminum  
sive transactione de ipsa causa belli jus perpetuum  
transfertur, ita ut omnes lites, actionesque ex qua-  
cunque causa penitus sopia sint, atque extintae. vid.  
*Perill. a COCC. in Diff. de Postliminio in Pace & Amnestia*  
*Sezt. VI. §. 3.* Plures differentias refert AUTOR Medit.  
ad Instr. Pacis Artic. V. §. 2. quæ vero omnes ad  
allatum discrimen referri possunt. Cum ergo Re-  
formati in Palatinatu ex utroque Capite tam Amne-  
stia quam gravaminum, juxta Articul. IV. §. 6. & 13.  
restituantur, non in nudam solum Exercitii Religi-  
onis & Bonorum Ecclesiasticorum, quæ ante bellum  
habuerunt, possessionem remissi fuerunt, sed & ple-  
nissimum ratione utriusque jus acquisiverunt, ex-  
tinctis omnibus aliorum prætensis juribus, ita, ut nul-  
la ipsis, sub quocunq; prætextu, & salva pace West-  
phalica moveri poslit controversia, excepto casu  
*Articulo IV. §. 24.* quo Episcopo Wormatiensi aetio-  
ratione Superioritatis territorialis, in prædiis qui-  
busdam Ecclesiasticis, quæ tempore belli occupata,  
Electori Palatino vi Pacis Westphalica restituere  
debuit, reservata fuit, sed coram judice competen-  
te, & salvis semper tum ipsis Bonis Ecclesiasticis, tu-  
Religionis in illis Exercitio, utpote de quibus ex  
Capite Gravaminum plenissime erat transactum,  
& nulla unquam lis moveri potest. Vid. *Perill. a COC-*  
*CEJUS Diff. cit. & AUTOR Meditat. ad Instrum. Pacis*  
*Art. cit.*

§. 17.

Restat, ut dispiciamus, an cum Regula illa &  
Norma, juxta quam vi Pacis Westphalica Exerciti-  
um Religionis & cum eo conjuncta bona Ecclesiasti-  
ca

ea in Palatinatu Inferiore restitui debuerunt, pugnet  
 ARTICULUS IV. Pacis Rysvicensis, quo ita cautum  
 fuit: Restituantur in primis Sacrae Cesareae Majestati &  
 Imperio, ejusque Statibus & membris a S. R. Majestate Chri-  
 stianissima, quævis tam durante bello & via facti, quam u-  
 nionum seu reunionum nomine occupata loca & jura, quæ ex-  
 tra Alsatiam sita, aut indice Reunionum a Legatione Gal-  
 lica exhibito, expressa sunt, cassatis, quæ ea de causa a Ca-  
 mera Metensi & Vesontina ut & concilio Brisacensi edita  
 sunt, Decretis, arrestis, & declarationibus, omniaque in eum  
 Statutum reponentur quo ante illas occupationes, seu Reunio-  
 nes fuerunt, nullo deinceps tempore amplius turbanda seu  
 inquietanda; RELIGIONE TAMEN CATHOLICA RO-  
 MANA IN LOCIS SIC RESTITUTIS, IN STATU,  
 QVO NUNC EST, REMANENTE. Cujus Articuli  
 Clausula Paci Westphalicae & diametro repugnare  
 videtur, quippe cum illa pace Annus 1624. pro Nor-  
 ma & Regula Status utriusque Religionis in Germa-  
 nia positus, atque in perpetuum constitutus fuerit;  
 Anno vero 1697. ejusque mensis Octobris die 30mo,  
 quo Pax Rysvicensis tuit confecta, Pontificiæ Religi-  
 onis Exercitium in multis Germaniae ditionibus a  
 Gallis recens erat introductum, quod, ut post isto-  
 rum locorum restitutionem quoque maneret, dicta  
 clausula voluerunt caveri. Id quidem AU-  
 TOR Considerationum ad Clausulam Articuli IV. Pacis Rys-  
 vicensis Tom. V. Observat. Hal. itemque AUTOR Ref.  
 Ob aus der von Frankreich in Pace Rysvicensi Art. IV.  
 stipulirten Clausul des Römischen Reichs Stände und  
 Glieder selbst agiren/ und ein Recht sich anmaßen kön-  
 nen / in FABRI Staats-Canzley P. IV. pag. 542. Ut &  
 CORTRÆJUS observat ad illum Articulum agunt, ut ejus  
 Clau-

Clausulā cū Pace Westphalica concilient, nihil huic derogatum esse contendentes, quod basis & fundamenti loco in Pace Rysvicensi Art. 3. posita fuerit, cuius propterea Clausula Art. IV. non nisi illa salva intelligi debeat; Religionis proin Pontificia Exercitium in locis a Gallis redditis ad Templa ab ipsis exstructa, redditusque de Suo constitutos sit restrin-gendum, illibatis, quaꝝ Protestantibus ex Pace West-phalica ratione Exercitii Religionis suꝝ & Bonorū Eccles. in iisdē locis cōpetant, juribus omnibus ; tan-toque magis, quod in citata Clausula locorum tantum, nulla autem jurium fiat mentio, luculento Argumen-to, illa A. C. Sociis penitus fuisse relicta. Nec præterea Status Imperii, ad novum illud Pontificia Religionis Exercitium diutius obligari censem, quā Pax cum Gallis duret, qua rupta , & illud rursus cesseret; Minime vero ipsis Statibus Imperii adversus se invicem agendi facultatem illa Clausula concedi.

## §. 18.

Hæc etsi speciem aliquam habeaut, aliter tamen de illa Clausula judicant alii, interque illos Clar. Vir JOH. PET. LUDWIG, qui ipse Pacis Rysvicensis nego-tio adfuit, in Diff. de Jure Adleg. Ordin. S. R. J. Cap. I. §. 45. & seqq. adducit quoque Legatorum, qui illam Clausulam Paci Westphalica aduersam esse credi-derunt, solidis judiciis. Nec, quid privati homines de illa Clausula sentiant, sed quaꝝ summorum Paci-scentium mens fuerit, inspici debet. Mala autem Gallorum consilia prodit, quod illam clausulam in-sciis Protestantibus Tabulis Pacis, cum jam ad sub-scriptionē paratae essent, inseri curaverint, ut refert laudatus Clar. LUDWIG l.c. & patet ex CULPISII Lega-

Legati Wurtenbergensis *Reservatione respectu illius*  
*Clausulae apud FABR. l. c. T. III. P. 269.* Principes  
 quoque Imperii Augustanae prasertim Confessionis  
 illa Clausula Pacem Westphalicam infringi semper  
 existimarunt, ut liquet tum ex Legatorum ad Pacis  
 negotium solennibus adversus illam Clausulam  
 contradictionibus, tum ipsorum Principum Im-  
 perii Actis in Comitiis, quae vid. apud FABRUM Lib.  
 cit. Tcm. III. & IV. *CORTREJUM in Observat. ad Pacem*  
*Rysvicensem T. 1. Part. 3. corporis Juris publici pag. 133. &*  
*segg. & Clar. LUDWIG. l. c.* Quid insuper circa nu-  
 perrimam Pacem Badensem intuitu Clausulae istius  
 a Principibus A. C. fuerit actum, quamque illi ve-  
 hementer institerint, ut irrita declararetur, non  
 ignotum est, patetque ex Monitis eorum apud FA-  
 BRUM T.XIX. pag. 736. & seqq. Nec sine causa. Præ-  
 terquam enim quod Religionis Pontificiae Exercitu*m*  
 publicum cum omni ejus externo apparatu absque  
 turbatione eorum, qui A. C. sacris addicti sunt, ut su-  
 pra visum est, institui vix posit; Quas deinceps  
 turbas illa Clausula excitaverit, gravamina Status  
 Evangelicorum apud FABRUM l. c. & experientia  
 hodieque satis abunde testantur. Nos omnia Summo-  
 rum Imperantium arbitrio relinquimus, nec, si quid  
 illi aduersetur, dictum a nobis volumus, Deumque  
 adhuc, ut Pacis illis consilia inspiret,  
 enixissime precamur.

F I N I S.


## COROLLARIA.

1. **E**st Pax Westphalica, ratione Imperii Statuum, Lex fundamentalis & inviolabilis.
2. Absurdissimæ sunt, quibus Pontifex Romanus famosa sua Protestatione eam impugnavit, rationes.
3. Competit Principibus Imperii jus Reformati in territoriis suis, sed salvis, quæ Religionis utriusque consortibus eadem pace acquisita sunt, iuribus.
4. Sub Augustanæ Confessionis Sociis Reformati quoque intelliguntur.
5. Ad Religionem nemo cogi potest.
6. Regna perperam in Patrimonialia & non Patrimonialia distingui solent.
7. Testamenta non sunt juris Naturalis.
8. Contractus metu iniitus valet, non item ex errore.

9. Mi-

9. Imperium summum in omnes Territorii Cives se extendit, etiam Legatos.

10. Potest in Imperatorem eligi Princeps Religioni Protestantium additus.




Frankfurt a.d.O., Diss., 17/10/73

ULB Halle  
005 350 808

3







10  
1719, 3  
30  
13  
4

**DISSERTATIO  
HISTORICA & JURISPUBLICI  
DE  
ANNO DECRE-  
TORIO EXERCITII  
UTRIUSQ; RELIGIONIS  
IN GERMANIA,**  
 Quam  
**Auspiciis Divi Numinis,  
PRÆSIDE  
JUSTO CHRISTOPHORO  
DITHMARO,**  
 HISTOR. ET POLIT. PROF. PUBL. ORDIN.  
 ET UNIV. BIBLIOTH.  
*Die XIIIX. Novembr. M DCC XIX.*  
 H. L. Q. S.  
 Publico Examini subjicit  
**JOHANN. STEINHAUSER,**  
 Magdeburgensis.



FRANCOFURTI ad VIADRUM.  
 Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.